

*Salve uerbi sacra parens,
Flos de spina spina carens,
Flos spineti gloria.*

CCLVIII.

R. 3258

Codex membraneus lat. Sec. cum XI. tum XII. Folior. 189. f. eleganter scriptus, coloribusque illustratus exhibet I. *Origenis Adam. Homilias XXVIII. in Librum Numerorum*, manu Sec. prioris, e versione *Rufini*, et cum huius Praefatione, licet ambigue praescripta sit *Praefatio Origenis*. Hanc *Elenchus* excipit, qui non nisi XXVII. numerat *Homilias*, cuius ratio est, quod in Opere ipso ultimae duae in unam contractae sunt. Itaque nihil prorsus in Codice deest. Titulus Operis: *Incipit Expositio Origenis In Librum Numeri*. Initium: *Diuinis numeris non omnes digni sunt &c.* Textus collatus cum Edit. *Maur.* T. II. *Paris.* 1733. p. 275. f. utcunque castigatus est, imo habet, quae tacitus praeterire nequeo. *Rufini* Praefationem *Ruaeus* editor inscripsit ad *Ursacium*; legit enim in decursu: *te quoque ipso in quam plurimis iuuante, Ursaci, nostrum laborem, dum nimis cupidus pueruli notarii tardum putas esse ministerium.* Ast ego lego: *te quoque ipso in quam plurimis iuuante ursacii nostri laborem. dum nimis cupidus es, pueruli &c.* Ut igitur *Ursacius pueruli Notarii* nomen, Praefatio vero ad *Donatum*, quem in principio adpellat, directae esse videatur. Praeterea paene

*Nos spinetum, nos peccati
Spina sumus cruentati,
Sed tu spina nescia. &c.*

malim, quod *Italiae solum Siculo* dirimit pro ubi — dirimitur, item *sensus alienos captare pro aptare*, item *explanationum libris pro explicationum*, et *fructum in profectu legentium ponat pro in profectum promat*. Dein *Homil. I. mulieres educuntur pro deducantur*, item *uirtus israelitica pro uirtus in Israelita*, item *Innumerati enim apud Salomonem pro Innumeri &c.*

II. fol. 136. manu Sec. XII. *Incipit prologus hieronimi presbyteri in expositionem ecclesiasticis*. Ita nempe: *Memini me ante hoc ferme quinquennium &c.* Ut edit. *Vallars.* T. III. col. 381. cui Codex noster cum primis consentit. Noto tamen in Operis ingressu legi *prophetiam Christi et ecclesie continentes pro ad prophetiam Christi et ecclesiae pertinentes*, dein pro *Logica vel Theorica haberi Theologiam*, item pro *regni proprii merito vindicatur vel indicatur vel iudicatur auctoritas scriptum esse regni proprii metropolis uendicatur auctoritas*. Non absone, si *to metropolis* gignendi casu sumatur; dixerat enim paullo ante *Hieronymus de Metropolitibus, hoc est, habitatoribus Ierusalem &c.*

CCLIX.

Codex membraneus lat. Sec. R. 3063 XII. Folior. 131. f. per duas columnas eleganter exaratus, minio distin-

E e 3

distinctus, et olim *Montis Pomarii*, vulgo *Baumgartenberg*, Monasterii Ord. *Cist.* in *Austria* super. ab seculo, curaque Codicum *mss.* in primis laudandi *Origeniana* continet, quae refero: I. *Expositio Origenis*. In Symbolum videlicet Apostolorum hoc ingressu: *Credo in Deum Patrem omnipotentem. Bene incipit a credulitate confessio. quia sic et beatus paulus expressit. Corde creditur ad iusticiam. ore autem confessio fit ad salutem. Credo ergo in deum patrem omnipotentem deum ingentem. qui ortus a nullo est. a nullo conceptus. deum invisibilem. quem nullus oculus carnalis videre potest &c.* Ita per Fidei articulos fit progressio. De primo Homine legas: *Aspice quia terra erat mater eius & uirgo erat. Uirginem terram esse diximus. quia necdum sententiam dampnationis acceperat. ut spinas et tribulos germinaret. nec ab humano sanguine. aut alicuius sepultura uiolata fuerat.* Ad quod redit Autor, dum de Christi tentatione ait: *Par enim erat. ut qui uirginis filium uicerat. a filio uirginis uinceretur.* Demum *col. 10.* concludit: *Ipsi uero apostoli cum essent congregati in unum propter metum iudeorum ante quam diuiderentur in terris. ut eis a domino iussum fuerat inspirante spiritu sancto singula capitula protulerunt quae postea futurę ecclesię per uniuersas prouincias tradiderunt dicentes. Credo in deum patrem omnipotentem.* Inspexi haud obiter Origenis Opera. Nulla huiusmodi Symboli *Expositio*. Video tamen in *Possivini*

Apparatu S. T. II. Adpend. p. 87. inter Codices graec. Biblioth. *Heidelberg. n. CCLXXIX.* notari *Origenis Sermonem de Catechesi.* Quid si hic *Versionis* nostrae foret *ἀρχαῖος*? *Sermonem* illam dici posse, vel haec probant: *Hec in uobis maneat fides. hoc depositum custodite karissimi &c.* *Versionem* esse, satis docet *scriptio* nis indoles, neque obstant *Loca* *Scripturae* ad *Vulgatam* expressa; huic enim adcommodare facile potuit *Interpres*. Denique ad *Origenis* aetatem pertinere posse *Tractatum*, evincunt illa, quibus non semel *Christianos* contra *Gentiles*, *Judaeos* et *Haereticos* praemunit. Itaque *Codex* mox citatus nodum solvere possit.

II. *fol. 3. p. 2.* sequitur *Omelia prima in leuiticum.* Ita: *Sicut in nouissimis diebus verbum dei ex maria &c.* cum reliquis *XVI.* pro ut extant edit. *Maur. Paris. 1733. T. II. col. 184. f.* quacum etiam *Textus* praeclare consentit. *Monendus* tamen est *Lector* post *fol. 48.* excidisse nobis *membranas* *Homiliae VIII.* partem maximam continentes, scilicet a verbis: *Ubi autem venit plenitudo temporis misit deus* — usque ad verba: *Post omnia etenim quae pro purificato celebrata sunt &c.*

III. *fol. 80. p. 2.* *Incipiunt capitula omeliarum orientis* (sic) *adamantii in ihesu nave.* Licet *Homiliae* tantum *XXVI.* numerentur, *Capitulare* tamen istud ad *XXX.* ascendit, quia in eo quorundam *Capitum* seu *Homiliarum* *Inscriptio* in plura *Puncta* diuisa est.
Po.

Postea: *Incipit prefatio Sancti Hieronimi presbiteri ad chromatium de expositione origenis in ihesu Naue.* Pro Hieronymo rescribe ejus *ἀνταγωνιστῆν* Rufinum; is enim interpretus est. Textus harum Homiliarum collatus cum Edit. cit. a col. 396. minus correctus est. Praeterea fol. 88. p. 2. *Homil. IV.* rursus membrana nobis deperiit a verbis: *descendit de celo et dat huic* — usque ad verba *Homil. V. salutarem et suscipientibus sacramenta uerbi dei &c.*

CCLX.

U. 82 Codex membraneus lat. Sec. XIII. Folior. 47. 4. bene exaratus et rubricis distinctus, olimque a *Joh. Fabro* Ep. *Vien.* donatus Collegio suo ad *D. Nicolaum*, ut typis expressa Nota anni 1540. praemonet, orditur ab hoc Titulo: *Incipit Liber origenis de singularitate clericorum.* Initium est: *Emiseram quidem vobis ante tempus epistolam filii karissimi &c.* et finis: *Hec agite. et deus pacis et dilectionis erit uobiscum. Amen.* Dixi de hoc alias ad *Cyprianum*, alias ad *Augustinum* relato Opusculo *Vol. I. P. I. col. 827.* Adhaeret illi in Exemplo praesenti *Origenis* Locus in *Genesim*: *Nemo qui eger est animo et languidus in operibus — Opera namque sunt que commendant hostiam deo.*

II. fol. 18. *Incipit liber S. Hilarii ad constantium imperatorem tunc hereticum.* Sic: *Tempus est*

loquendi. Quia iam tempus praeterit tacendi &c. Adest *Additamentum* sumtum de *L. II. de Trinitate*, ut in *Exemplis* adlatis *Vol. I. P. I. col. 634.* et *seqq.* In Edit. *Maur. Paris. 1693.* habetur *col. 1237.*

III. fol. 24. *Ex epistola s. Hilarii transmissa ad constantium.* Non est Excerptum, sed integer Libellus, unde Librarius fortasse scribere debebat: *Exemplar Epistolae.* Incipit: *Benignifica Natura Tua Domine Beatissime &c.* et finit: *de se loquitur ipsa sententia.* Ut *Vol. suprac.* et Edit. *col. 1217.*

IV. fol. 25. p. 2. *ἀνεπιγχαρως* Ejusdem Libellus II. ad eundem. Incipit: *Non sum nescius Piiissime imperator que de nonnullis &c.* et finit: *ab ea iuxta ista non dissonans.* ut *Vol. suprac.* et Edit. *col. 1225.* Inscriptio miniata: *Liber II. Ejusdem Ad Eundem Quem In Constantinopolim ipse tradidit*, in Codice primum fol. 28. subpleta est. Subjuncti sunt his VII. Loci *Hilarii* promti ex ejus *LL. contra Auxentium, de Trinitate, et de Synodis.*

V. fol. 29. Excerpta numerosa ex Operibus *S. Ambrosii*, videlicet *de Spiritu s. Incarnatione, Fide, de Joseph, Bono Mortis, Apologia David, de Patriarchis, de Exequiis Fratris, de Paradiso, in Lucam.* Exemplar satis castigatum nactus erat ignotus Deflorator.

Fol. 47. Verficuli quidam, quorum en Specimina. *De Cruce:*